130

1519. Ex MS: Arch: Radivil Nesv:

Sigismundus Primus Rex Poloniæ Lucæ de Gorca Castellano Posnaniensi et Capitaneo Majoris Poloniæ generali.

Magnifice Sincere nobis dilecte. Tartari post illatam nobis cladem hanc discesserunt, nos verò persuasum habentes illos adhuc redituros, egimus Conventum Sandomiriæ de resistendo huic malo, et obtulerunt se libenter nobis hæ terræ nostræ nobiscum proficisci, tamen quia adhuc nihil comperti habemus de ipsis Tartaris movere hos Subditos nostros volumus tantisper donec opus videbitur. Habemus verò gratias tuæ Sinceritati, quod se nobis affuturam in tanta reipublicæ necessitate obtulit, et referemus illi hoc officium et studium omni gratia et beneficentia nostra regia. Libenter videmus quod Costenses restituti sunt quieti, et paci debitæ, molestum enim nobis fuit et res indigna est visa, quod tam insolenter, et licentiose contra nostram authoritatem violati et cædibus affecti sunt erit tamen nobis gratum non minus quando sibi Costenses, si in aliquo excesserunt, id, quod promeruerunt jure patientur. Bene valeat sinceritas tua. Datum.